


Oratio
IN DIE CATHERINAE
SOLENNITER
IVXTA LEGES PHI
LOSOPHICAE FACVLTAT
is in Academia VVitebergen-
si , habita

Johanne Majore : D.



VVITEBERGA.

Typis heredum Ioannis Cratonus, 1584.





ORATIO.

NO S homines socium finxit Deus autor
ad usum,
Et variam officij iusit obire vicem.
Non ut sepositis curis, de more fera-
rum

Sorde voluptatum vita trahatur iners:
Cùmq; suo absuntus motu calor insitus esset:
Sic corpus vacuum mente putrescat humi:
Ceu venit in pomis, brutis ve animantibus usu;
Qua sine spe vita sunt cinis, umbra, nihil:
Vera Dei in socio sed ut agmine fama nitescat,
Atq; alijs alij cœlica iussa sonent.
Hunc colit ob finem socios homo conditus usus;
Nam pietas urbes, iuraq; sancta dedit.
TURBA sed hunc finem vel nulla, aut rara revoluit
Ut lato vigeat limite fama Dei.
Vulgus, ab externis splendoribus estimat urbes,
Inq; opibus neruos indicat esse sitos:
A ij Si res

Sires ampla : cauæ fossæ : armorumq; paratus :
Mole graues, cultæ marmore, E arte domus.
Quod si quis melius sentit : modò laudibus effert
Vim disciplina, subsidiumq; fori :
Tum latas leges vario super ordine vita ,
Ex quibus euentum vincula pacis habent.
Hæc bona, sunt huius vitæ tantum usibus apta
Hac quoq; cum vita finem habitura suum.
Omnibus hanc legem indixit natura creatis ,
Ut quia sunt aliquid , sint aliquando nihil.
SED qui precipuum vult rerum expendere finem,
Ac animum ad verum nempe referre decus :
Is scit in his operam conatibus esse locandam
Noticia ut crescant semina vera Dei.
Tum capita, ac populus studijs , operaq; parati
Verba Dei ad generis tempora sera trahant.
Id, nisi conuentusq; sacri , ludiq; colantur ,
Non alia fieri lege, modoq; potest.
Namq; opus est pure cœlestia semina traadi ,
Et pubem institui, qua decet, arte rudem.
CVM sit in his rebus positum decus omne duabus :
Has res hac regio possidet una duas.
Nam sonat hic præstans alijs sapientia Christi ,
Quam sumtam ex patro detulit ipse sum.

Et ve-

*Et venit ad Christum nemo, nisi traxerit ipsum
Vi verbi genitor pectora prona mouens.
Hocq; modo ingenua tractantur gnaviter artes,
Vnde homini virtus surgat, honorq; Deo:
Non ut detineant sine pondere vocibus aures,
Et lis de capris personet orta tribus:
Pacis enim dulce est nomen, res ipsa salubris;
Candida non intrat pectoralitis amor;
Sed vel sacra Dei illustrent, vel commoda vita;
Nam qua dicuntur tempore, pondus habent.
Non opus est hominis melius, quam fundere voce,
Deq; Deo humanum sape docere genus.
Catera pratererunt studia, & sine numine Christi
Facta, nocent homini, suntq; odiosa Deo.
En ratio est vobis congressus reddit a nostri;
Ergo quod ostendi voce, probabo fide.
Qu i Patris es verbum, et ratio, et sapientia Christi,
Cuius & hoc mundi dextra creauit opus:
Omnia qui solo facis, & regis omnia mutu.
A cuius pender munere nostra salus:
Semper & in sacro praesens es numine coetu:
Huc ades, & lingua suggerere verba mea:
Atq; mibi ad pubem facienti verba disertam
Aethereo aspiret Flamen ab orbe tuum.*

A iii Grata

*Grata Deo, & qua sunt ex usu, carmina pangamus;
Debet ad autorem Musa redire suum.*

*Vena, Dei donum est, & motus ab aethere spirans,
Quo Deus, & virtus possit in orbe cani.*

*Vult Deus agnoscit, & dictis ad sidera tollit
His homo de causis factus imago Dei est.*

*Nec sine doctrina, & studio virtutis, & usu
Nosse potest quisquam, nec celebrare Deum.*

*Unde, Dei causa virtutem, artesque fouemus;
Nec doctrina caret fruge, salute labor.*

*Cumque Dei fama virtus famuletur, & artes:
Ac ars & virtus sint operante Deo:*

*A te Christe petat, qui vult orator haberi;
Qui bene fert Christo vota, disertus erit.*

*Vota loco quanvis Christo debentur in omni:
Plus tamen in caetu vota peracta valent.*

*Huncque locum, ac tempus patres obiere priores,
Vt pia vota ferant, grataque verba serant.*

*HAEC lux, si veteris monumenta reuoluimus anni,
Rege satam Costo te CATHERINA notat.*

*Praeside quanitor ac nerui doctoribus adsint,
Sine fori caussam, seu pietatis agant:*

*Quod vice sermonam vanis congressa magistris
Arte pia arguta contudit artis opus.*

Hac

Hacratio effecit cœtus celebrare quotannis,

Verbaqe per ludi pulpita ferre , patres.

Hei faciles animi , qui fandi dona volebant

Virginis ob cultum promeruisse sacra.

Nulla, nisi à Christo , solidè doctrina paratur,

Debet ab hoc pietas omne rogare bonum.

Iudicio semper vetus obstat opinio recto ,

Nec sinit affectus cernere lucis iter.

Hic dominos facit esse graues meliora secutis ,

Pellit Ego è nidis hunc , aliungs suis.

Vana supersticio modo morem iactat , Ego annos ;

Pondere, non numero causa tuenda bona est.

Verior Ego fidei sententia , sanctior omni

Verborum vinclo semper habenda venit.

Maxima debetur sacro reverentia regno:

Non tamen hanc regis quodque meretur opus.

Sapè aliquem damnat prator : ius soluit eundem ;

Nec vir , ut officium : prasul , ut ordo valet.

Ordo Dei , Ego tractata suo res ordine , sancta est ;

Sed tamen ad fraudem vertit utrungs furor.

Nec vim legis habent quauis vag a vota potentium :

Nec vitium officij debet honore tegi.

Rari iustitia frenis sua facta coercent ,

Quà libet effracto carcere legis eunt.

Franus

Fraus pugnat numero, sed vincet causa bonorum;

Vox ubi Christe tua est, nil valet ira Papa.

Nunc quia barbaries hac mundi ex parte fugata

Religio ex umbris sustulit alma caput : (est:

Iactauitq; iugum, & mentes terrore resoluit

Quas Latij oppresit fulmen, & ira lupi.

Atria Musarum repetunt facunda nitorem:

Artibus est species reddit a, fama Deo.

Obsita vis fandi spinis, expulsa lepore est:

Et sonat in templis vox patefacta Dei:

Ac bene cum linguis artes traduntur honesta,

Semina virtutum, notitiaq; Dei.

Hincq; fori officium, & sacra res deponit ad usum

Qui possint alijs reddere iura, viros.

Consortes opera geminos Deus extulit Orbi,

Qui res has iuri restituere suo.

Quorum qui prior est, animoq;, & corpore maior

Praditus ingenua fronte LUTHERVS erat.

Alter voce sua, ac animo submissior ibat

Doctorem in varia sorte MELANTHON agens.

In cuius labris posuit sua limina Pallas

Vtragi, qua Christi vim, meritumq; refert:

Justitiam Fidei, qua Christi munera prendit:

Et quod sit lethi, quodq; salutis iter.

Alter,

*Alter sermonis grauitatem, & numen habebat,
Tincta Periclo verba lepore sonans.*

*Quo proceres posuere minas, flatuq; remisso
Submisere pijs obvia colla ingis.*

*Hic, in consilium Charites adhibebat, & artes,
Ingenioq; alijs cedere, cura fuit.*

*Quo i d strepitis Cuculi? pereunt iactata per auras
Crimina vestra, manent carmina Luscinia.*

*Qua sint Christe tui precepta salubria cætus,
Quaq; tui socij, quaq; dedere patres:*

*Hic ratione breui, & plano sermone retexit,
Omnia de veris fontibus hausta Dei.*

*Nec planè sentire queant, nec dicere plenè,
Hos nisi facundum subleuet huius opus.*

*Non reperire status caussarum, arcent ve valerent,
Aut quo materies cardine versa foret:*

*His nisi subnixi pennis vicherentur ad ipsum,
Atq; viam his Thescus per sua fila regat.*

*No n metuunt fati leges monumenta Philippi,
Nec sunt arte hominum nixa, sed ore Dei.*

*Si vim forte ferant homines: vis tangere quadam
Nos homines: artem ladere nulla potest.*

*Plures, quos sugeret, quam quos sequeretur, habebat;
Carpebam aliqui, nemo innubat opus.*

B Differet

Differit hic paries, hominum si gratia muta est.
Posteritasq; pium nomen in ore feret.
E R G O supersticio, qua Christi munera pressit,
Exulat, & melior regnat in Orbe Fides.
Olim res varia docuere in imagine Vates,
Et persona sacrum facta notauit opus:
Pinxit ut ille sacrum (atherina nomine cætum
Cui vati vates nomen & Apollo dedit:
(Nanq; loco scripti rudibus proponitur umbra;) Postera gens crasse credidit esse deam.
Huic, qua nulla fuit, cultum tribuere precando;
Si tamen illa fuit, non prece digna fuit.
Hac etenim soli debetur gloria Christo;
Qui verbum viuens est, & imago Patris.
Principit hunc omnis precibus scriptura vocari;
Est igitur verus nomine, req; Deus.
Q uia prius errarint patres in nube: videtis;
Sed seculi labes ista prioris erat.
Qui tamen has inter stipulas fundamen habebant,
Quo doctrina Dei pondere fulta suo est:
Et veniam erratis ardenti mente petebant,
Spes ut nixa tuo sanguine Christe foret:
Non sunt ob stipulas projecti à numinis usu,
Quas domini attexit gens rudis arte sacra.
Nec

Nec modo par culpa, sed abundans omnia supra

(redabant pretium sanguinis esse tui.

(Nam pretium ob nexum forma seruilis in unam
Personam verbi, iura salutis habet.)

Non sua torquebant morientem vulnera quenquam,
Qui tua respexit vulnera Christe fide.

MYLTIA, & magna pios caligo, luesq; fatigat:
Non tamen ut vero mens sit iniqua sciens:

Nec moniti errores obnixa voce tuentur;
Qui studet affectus vincere, victor erit.

Mensq; palam stipulas elidi sentit ad ignem
Cum rem certatim morsq;, fidesq; gerunt.

Et sua pro lapsu pœnarum exempla vagantur;
Qui tamen est causa fidus in arce, sapit.

Ante, diem, pariterq; deam coluere parentes,
Ut cursum in studijs det venerata bonis.

Consulti Sophia pro signo utuntur eadem,
Pressaq; dat caris huius imago fidem.

Gens Danai afficit Ioue natam Pallada cultu:
Artes esse Dei libera dona notans.

Ut colerent homines virtutem, & rebus honestis
Quisq; operam certa substitutione daret:

Virtutis species diuorum nomine signant,
Quod sit virtutis causa suprema Deus.

TERMINVS hinc Deus est; nam ius aequalis tueri
Si res diuidimus: res, & imago Dei est.
Nata Minerua Ioue est; ratio ac sapientia felix
Nata, nisi à solo, non aliunde, Deo est.
Sic Themis est legum Dea; dando in iure monetur
Rex sine respectu ius dare, more Dei.
Nos ex corde Patris genitum sine tempore VER-
Artis, & eloquii ducimus esse caput. (BV M
Et non ex homin: est, vim rerum, ac vocis habere;
Hac nisi det Christus munera, nemo dabit.
Omnis in hoc uno retinet sapientia sedem,
De quo ceu grauido munera carpe penu.
Hunc Pater autorem declarat voce per auras;
Qua bona, quaq; affert verba, prahende fide.
Applicat ipsa suos alienum munus ad usus;
Qua data sunt cunctis, propria sume, fide.
Quam tibi voce sonat, Patris est ea certa voluntas;
Non igitur dubites huic adhibere fidem.
Quotidie in cœtu fert patria sensa sacrato;
Vox pia praconis, vox manifesta Dei est.
Nosse voluntatem vis Patris? consule Natum;
Verba facit: conde hac aure, reconde sim.
Vult operam impendi studijs, cum dulcia Nati
Aure iubet condi verba, fideq; capi.

Arte

Arte opus est, si vis sensum comprehendere verbi;

Non bene perceptis fidere nemo potest.

Omnis doctrina ratio, & perfectio tandem

Conflatur precibus, sedulitate, fide.

Si placet ergo Deo nos vocem discere Nati:

Non labor, aut nostra displicet arsis opus.

Sed vis tota hominis sit vocibus amula Nati:

Non sectare sonum, remq; relinque soni.

Flamen enim vires per vocem in corde refingit,

Quam vocem facili Filius ore sonat.

Qui capiunt vocem, noua lumina condit in illis,

Et sua virtutis germina pulcra micant.

S E D cur tot facies paenarum, atq; agmina cladum,

Quascunq; in partes lumina vertis, cunct?

Aduocat has gravis ira Dei scelere excita nostro;

Non pia vox pondus, vocis & autor habet.

Praterit illa aures, hic est sine honore relicitus,

Continet & raros area vasta greges.

Arguit hac verbis fastidia, tadia Christi

Voce noui pacti Spiritus ipse Dei.

Atq; reos peragit, dubitant quod fidere Nato,

Vox instrumenti quem sonat alma noui.

Nec crepitus bullæ, vel fulmina bruta sine ictu,

Aut sine re sonus est, tanta querela Dei.

B iii Pœna,

Pœna, minaq; simul, vox ac opus editur una;
Si petis exemplum, quod petis Orbis habet.
Vix sacra res paruo mundi se continet antro;
Vis Christum exagitans iugera lata premit.
Omne latus Lybiæ gens Sarracena frequentat,
Et saltus Arabum, cultaq; rura Phari.
Truxq; Getes Asia imposuit iuga seu minori,
Et tenet Argolicas sub ditione plagas.
His porrò à furijs si pars intacta remansit:
Errorum artifices sub sua iura trahunt.

Apocal.
Cap. 12. Fata sub arcano I O H A N N E S codice pandit,
Fæmina quòd sedes per loca sola colet.
Huins membra loco dispersa vagantur in omni,
Vixq; specu Abdias unus & alter alit.
Vatibus hi pulsis umbras ac tegmina præbent,
Ac aliqua hac mundi nomina parte fouent.
Semper apud paucos habuit doctrina receptum,
Semper & his paucis adfuit umbra Dei.
Rarus erit Christi cultor sub fine, nec ullam
Cum referet gressum cernet in Orbe fidem.
Nos tamen ad vocem quam portat ab aethere Na-
Aures, ac animi sensa referre deder. (tus
Summus ad hanc vocē sacrum Pater alligat agmen,
Quiq; fide hanc haurit, fædere junctus erit.
Fulmina nos cogunt sensu discedere ab illis
Absona voce Dei qui sua scita ferunt. Er-

Ergo pedem à ritu sacrorum abducimus omni
Qui factis differt ordine Christe tuo.
Non pompam instituit Christus cum farre sacrato,
Nec iusit caue&, quod dedit, orbe tegi.
Nec vetito in cultu carmen vetus ore sonamus:
Sed Christi efferimus carmine dona nouo.
Voxq; noui pacti, nomen sibi vendicat illud:
Non est natura, nec rationis opus.
Lex in monte Sina vetus est, nec amabile carmen,
Ad cuius sonitum cor micat, ora tremunt.
Inq; animis hominum lethalia spicula linquit,
Quam si mox sanes Christe, querela sonet.
Sed data gratuit a mundo promissa salutis,
Sunt noua, nec veteri carmina more tonant.
Dulcis in his modus est, res cordi atq; auribus aqua;
Omnis ab auditu carmine cura fugit:
Ut Saulen memorant cùm iam sua mittere vellet
Tela, lira sonitu continuisse manus.
Sensus in his longè est nostra à ratione remotus,
Quem Patris ex tacito fert satus inde simu.
Hocq; nouum carmen Nati Pater indidit ori,
Quod repetunt nato flamina sancta Deo:
Quodq; Dei laude est plenum, & quo plurimus ordo,
Ut legat hoc carmen, lumina fixa feret.

Psal. 40.

Praterea

Præterea cœco noua gens ac lucida mundo,
Efficitur Flatus vi vegetante sacri.
Et nisi doctrina genus hoc noua semina spargat,
Præside quod Christo cepit in Orbe seri:
Quippe vetus secum deducat carmen ad Orcum
Gens Ebraæ suum, gensq; Latina suum.
Hac, sua monstra Deum, resq; à ratione petitas:
Illa, canit ritus Mose seuere tuos.
Non apud has ratio quarenda salutis, & cui est;
Vera fides summi munus, opusq; Dei est.
ERGO nouum carmen de parta dote salutis
Nos decet in cœtu sapè referre pio.
Nam tali legitur tantum sacer ordine cœtus,
Si peragit partes vox operosa suas.
Quid superest igitur, nisi grates voce feramus,
Quas re, quas opera nemo referre potest.
Laus cat ad Patrem, et genitum, Flatumq; Sacratum;
Est tribus his paribus par tribuendus honor.
Postq; Deum, conferte preces pro præside regni;
Namq; salutaris rector imago Dei est.
O Soli iustitia, & lumen de lumine Patris,
Protege doctrinæ sensa recta tua.
Floreat his oris pax, & reuerentia legum,
Officium, virtus, & sine labe pudor.

Tu

*Tu rege consilijs Augusti pectora nostri,
Et dux esto Duxis, vel pater esto patris.
Urbes iustitia tutatur, moribus ornat,
Legibus emendat, subsidijsq; fouet.
Imperii superest oculus propè solus, & unus :
Non ergo hunc oculum mors, nisi sera, tegat.
Cumq; referre vicem nequit hac in parte facultas;
Nam meriti modus est altior ille sui :
Verborum interea fructum fert aqua voluntas ;
Hac quoq; si desit vis sua, grata Deo est.
Concipimusq; preces, Deus ipsi proroget aium,
Ut velut est, possit commodus esse diu.
Quodq; Deo vitam, & virtuti accommodat o-
mnem :*

*Huic virtus famam conferet, astra Deus.
Non hic plura feram : cætum iam soluimus, ite;
Si qua suo septa est fine loquela, bona est.*

D I X I.

C DECA-

DECANVS ET
COMMVNITAS PROFITEN-
TIVM PHILOSOPHIAM, IN ACA-
demia VVitebergensi.



D D I E M H O D I E R N V M , Q V I
est mensis nouembris 25 , ascribitur
in Fastis nostris nomen C A T H A R I-
N A E , de qua quid memoria prodide-
rint veteres , & quibus commentis ea
qua prodita sunt , fœdata fuerint atatibus superio-
ribus , & contaminata à Pontificijs : id commemo-
rari hoc loco non potest , fortassis etiam non debet .
Sunt enim anilia & superstitione in his pleraq; , &
ad manifestam idolomaniam stabiliendam excogi-
tata , quibus nimirum cultus soli D E O n a p d o r a s n
rerumq; omnium moderatori tribuendus , cum san-
ctis hominibus communicatur , fraude impia ac de-
testabili . Quod tamen ad nostrum institutum per-
tinet , regiam hanc virginem fuisse perhibent , doctri-
na atq; opt. artium studijs eruditam : qua , cum à
Maxentio Tyranno aut abiurare iuberetur no-
men & religionem Christianam , thura & odores
idolis incendendo , aut grauissimum sane perferre
supplici-

supplicium, summa animi constantia sese illi oppo-
suerit, conuocatosq; ad disceptationem Philosophos,
Platonicis & Sibyllinis nescio quibus in medium
adductis, ita superauerit contuderitq;, ut ab irato
Tyranno viui illi in rogam coniecti & cremati fu-
erint uniuersi: tandem verò & ipsam hanc, quia
neq; minis neq; pollicitationibus à fide & religione
sua abduci potuerit, gladio jugulatam, sanguinem
& vitam propter confessionem nominis Christi pro-
fudisse. Atq; hæc de CATHARINA inter alia sic
commemorantur. Quibus adducti aliquando fue-
runt homines, literati pariter cum ceteris, ut crede-
rēt, præsidem illam et patronam esse studiorum Phi-
losophia, & ab numine eius impetrari oportere, si
quis excellere in hoc disciplina genere, & sapientia
ac eloquentia laude celebrari cuperet: unde & diem
festum, CATHARINÆ nomine, maiores nostri
agitare soliti sunt quotannis, & imaginem huius
pro insigne datam esse Collegio nostro publicè notum
est. Pari fermè religione, in commenticia illa De-
orum multitudine, Mineruam suam introduxe-
runt Ethnici, in cuius tutela ingenuarum artium
ac disciplinarum studia esse existimabantur. Sed
cuiusmodi hac sint, & quam perniciosum errorem

C ij conti-

contineant, nobis qui è superiorum temporum te-
nebris cùm Ethnicis tūm Pontificijs, in hanc cla-
risimam lucem doctrinæ cœlestis collocati sumus,
statuere est in promtu. Quis enim nostrum non
intelligit, quanta impietas sit, quantum scelus, re-
licto & quasi repudiato D E o, commentitium ali-
quod numen accersere, aut conuertere se ad homi-
nes vel viuos, vel qui de vita iam deceperunt, &
ab his petere atq, expectare ea, qua cupimus, &
qua nisi à D E o proficiisci, nostroq, usui suppedita-
ri nequeunt? Quòd igitur rectius sentimus de re-
bus tantis, & hac superstitionum commenta serio
detestamur: id singulari Dei benignitati acce-
ptum ferimus. Et quanquam veterem consue-
tudinem revocare nunc decreuimus, qua solen-
nis & festus hic dies esse solebat communitati
nostra, & Philosophiam in hac discentibus: ta-
men hic honos non habetur Catharina, de qua
diximus, sed Filio Dei tribuitur, qui, cùm fons
sit vera omnis sapientia ac doctrina, ei vota
facimus, ut honestarum artium & linguarum
studia deinceps quoque, una cum luce verbi
cœlestis, inter nos seruet, nostrisq, laboribus ad-
sit, ut sequant gloria ipsius, & nobis alijsq, sa-
lutares

lutares sint & fructuosi. De his ergo alijsq[ue] ad studia nostra professionis pertinentibus , cogitationem hoc potissimum tempore Scholasticos suscipere voluerunt maiores nostri : atque ne occasio commentandi decesset , introduci ceptum est , ut in loco publico & confessu frequenti oratio haberetur , qua animi ad gratiarum actionem Deo misericordi debitam , & ad Philosophia bonarumq[ue] artium amorem ac studium excitarentur . Quam dicendi operam , ut ante hac sponte sua suscepit , & superioribus annis aliquot , magna cum laude sua , & virilitate ac voluptate auditorum , præstítit Vir clarissimus & Poëta eximus D. JOHANNES MAIOR Ioachimus , Collega & amicus noster : ita nunc repetere eandem , atque à Tuscis suis elaboratum quid proferre , hacq[ue] ratione de communibus studijs suo loco bene mereri iterum constituit . Cum autem hodie id commodè fieri non potuerit , differenda res fuit in diem perendinum , ad quem ut Scholastici frequentes conueniant , hora eius diei ix. in loco ubi docere publicè solemus maximo , ac præstantissimum Poëtam nostrum attentis nobiscum auribus animisq[ue] audiant , eos hortamur .

C iij Et

*Et confirmare enim sineulla dubitatione possumus,
ipsum hoc etiam tempore, aliquid allaturum, inge-
nij & nominis sui præstantia dignum: & experi-
entur, qui adesse voluerint, se cognoscendis ijs, qua
turn recitabuntur, operam impendisse non pœniten-
dam. Neq; pluribus nos hac agere apud vos est
necessæ, cum sic persuasum habeamus: cuius Poë-
ta scripta eruditissima merito magnificatis omnes,
inq; manibus habetis quotidiè, ad eius vocem &
Musicam suauissimam, ex ipsis ore coram audi-
endam, vos sponte vestra & cupide accessuros
esse. P. P. ipso die Catharina.*

Anno Christi 1584.



F I N I S,

